



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE ***IN DOLOROSAE*** IMAGO BEATAE MARIAE VIRGINIS
DOLOROSAE QUAE IN ECCLESIA
OPPIDI V.D. SKULSK COLITUR, PRETIOSO DIADEMATE
REDIMITUR «NOMINE ET AUCTORITATE SUMMI PONTIFICIS» Ad perpetuam rei memoriam. – In dolorosae Christi
Matris vitam «permultae et vehementes passiones confluxerunt in talem nexus et colligationem, ut non solum fidem eius
inconcussam comprobarent, verum etiam ad redemptionem omnium conferrent» (*Salvifici doloris*, 25). Quapropter
Ecclesia per saeculorum decursum in rerum angustiis et difficultatibus Dei Genetricis auxilium iugiter invocavit eiusque
virtutum contemplatione fidem suam confirmavit. Cum igitur Venerabilis Frater Bronislaus Dembowski, Episcopus
Vladislaviensis, litteris die II mensis Februarii datis, communia vota cleri et christifidelium excipiens, postulaverit ut Nostro
nomine et auctoritate pretioso diademate redimiri posset pulchra imago Sanctissimae Mariae Virginis Matris Dolorosae
quaes in ecclesia paroeciali oppidi v.d. Skulsk religiose colitur, Nos huiusmodi piae petitioni libenti animo obsecundare
volumus. Ratis igitur habitis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, tributis a Nobis
facultatibus, hac in re egit, Apostolica Nostra potestate, petenti Praesuli concedimus ut supra dictae imagini Nostro
nomine et auctoritate sollemni modo pretiosam imponat coronam, firma spe ducti fore ut apud populum Marialis cultus
fides vitaque christiana maiorem incrementum deducant. Contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae,*
apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIII mensis Martii, anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri
duodecimmo. ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1996 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana